

1795

AA. 117. 529

FA 151.675

i 11685992 (1)

i 20770984 (2)

i 21147796 (3)

i 21147826 (4)

i 21147887 (5)

i 21148363 (6)

i 21148600 (7)

i 21148764 (8)

i 21149161 (9)

i 21149239 (10)

הששה סדרים

של המשנה

ANTIQUITATES HEBRAICAE

AD SEX ORDINES MISCHNAE

PRO LINGVAE SANCTAE CATHEDRA

PROPVGNANDAE

A FRANCISCO PASCHALI ORCHELL

LING. HEBR. CAND. ET PROF. SVFF.

IN SCHOLA VALENTINA

DIE VIII. APRILIS ANNI CIOIOGCLXXXXIII.

HORA III.

VALENTIAE

IN OFFICINA FRATRVM DE ORGA

CIOIOGCLXXXXIII.

PERILLVSTRI
VALENTINAE VRBIS
SENATVI:

D. D. IOACHIMO DE PAREJA ET OBREGON, CHACON,
PACHECO, MERINO, ET ROXAS, Regii insignisque Ordinis
CAROLI III. Equiti, Artis Equestris Magisterii Granatensis
Socio, Urbis Praetori, ac Iustitiae Maiori huius Civit. cet.

Magnificis Rectoribus:

- D. FRANCISCO CEBRIAN, ET BORDES, Reg. Milit. Ord. B. M.
de Montesia, ac S. Georgii de Alfama stemmate decorato:
D. ANTONIO PASQUAL, ET GARCIA DE ALMVNIA, I. V. D.
D. VINCENTIO PASCHALI GVERAV DE ARELLANO, PVCHA-
DES, SISTERNES DE OBLITES, Phil. Mag. Iur. Civ. Baccal.
D. FRANCISCO BENEDICTO ESCVDER, ET SEGARRA, I. C. D.
et Valent. Fidei violatae Tribunali Ministro Familiari:
D. IOSEPHO VINCENTIO RAMON DE CASCAJARES, DVRRAN,
HERLA, ET HENRIQUEZ DE NAVARRA, SENTIS DE FIGVE-
ROLA ET GAMIR, Regii insignisque Ordin. CAROLI III.
Equiti, Baroni de Tamarit:
D. IGNATIO LLOPIS FERRIZ, ET SALT, Comiti de la Concepcion,
Phil. Mag. I. C. D. Regiae Matritens. Iur. Pub. Acad. Reg.
Praet. Valent. Audit.
D. VINCENTIO ANTONIO NOGVERA, ET RAMON, I. C. D. Regii
Magistrat. Agricultur. et Negotiationi fovendae Ministro Vo-
cali, Nobilium Ordine:
D. FRANCISCO DE PAVLA ALBORNOZ ET CEBRIAN, I. V. D.
D. IOSEPHO ZENONI DE BERTODANO, Marchioni del Moral:
D. IOSEPHO IOACHIMO MIRALLES ET SIVRI, I. C. D.
D. ANTONIO MARIAE ESPLVGVES DE PALAVICINO, ET GAMIR.
Baroni in Fignestrani, Domino Oppidi de Mahuella, et Univ.
vulgo de la Puebla Larga, Artis Equestr. Magist. Val. Socio:
D. PETRO CASTILLO ISCO ET QVINCOZES, March. de Jura Real:
D. PHILIPPO MIRALLES, I. C. D. et in Reg. Praet. Aragon. Audit.
D. RAPHAELI PINEDO:
D. ROCHO ESCOTO ET MOREO:

- D. FRANCISCO DEL CASTILLO ET CARROZ , Marchioni de Valera
 et Fuentehermosa, Regii insignisque Ordin. CAROLI III. Equiti:
 D. MAVRO ANTONIO OLLER ET BONO , Reg. Grat. Decimar.
 Nov. Iud. Apost. et Reg.
 D. IOACHIMO ESTEVE DE ARBOREDA , MAS DE MASPARROTA,
 I. V. D.
 D. EMMANVELI GINER , ET GINER , I. C. D.
 D. JOACHIMO ANTONIO SALON ET FITA , I. V. D. et in Reg.
 Aud. Caus. Pat.
 D. MICHAELI GOMIS , I. C. D. a Regiis Consil. Advoc.
 D. CYPRIANO MAÑES , I. C. D. et in Reg. Aud. Caus. Pat.
 D. IOSEPHO INSA ET BELLO , I. C. D. et Advoc. Colleg. adscripta

Syndico Procuratori Generali dignissimo:

- D. IOSEPHO PASCHALI DE BONANZA ET MESA , I. C. D.

Consultissimis Advocatis:

- D. VINCENTIO ALPHONSO ET MARTINEZ , Phil. Bac. I. C. D.
 pro Inst. Imp. Cath. cand. a Reg. Cons. Adv. et Reor. viol.
 Relig. apud Val. S. Inquisit. Trib. Adv. et Val. Colleg.
 Alumn.
 D. IOSEPHO BENEYTO , I. C. D. pro eiusd. facult. Cath. candid.
 et Valent. Colleg. Alumno.

A Secretis Fidelissimo:

- D. EMMANVELI SIDRO ET PERIZ.

*VIRIS QUIDEM AVITA NOBILITATE , ET DOCTRINAE SPLEN-
 dore Clarissimis , ac de Academia nostra optime meritis Patronis , hoc
 quaecumque munus. in aetern. observantiae monumentum D. O. C.*

Franciscus Paschalis Orbell.

AD HEBRAICAS ANTIQVITATES

PRAELVDIVM.

Vera Synagogae Reipublicaeque Hebraicae disciplina, in qua omnes ipsarum Antiquitates delitescunt, duplicem a prima Israëlitici Populi constitutione fontem agnoscit, *Legem* nempe, ac *Traditionem*. Pulcherrima sane apparent in Lege illa Sapientissimi, utpote Theocratici Populi vestigia, seu ius canonicum spectes seu civile, imo et artium ipsarum clarissima quaedam monumenta, vix ulli antiquorum populorum comparanda. Verumtamen non illic omnia; quin potius nec diversis temporibus saeculisve eadem conveniens disciplina. Atque hinc iam a Legis promulgatione et ab ipso met Mosis ore credimus traditionem incoepisse, qua et obscura quaeque Legis exponerentur, eius implerentur lacunae, variisque postea sequiorum

temporum necessitatibus occurreretur. Absit ut in his assensum praebere videamur speciosae illi magis quam verae R. Maimonidis in praefat. ad Mischnam narrationi, de universo populo Israëliti- co suis classibus in Sinai distributo atque ad Mosis cathedram tantum non simul admissio, sed eo clas- sium ordine, ut quater unusquisque Legem eius- que expositionem audierit. Id tamen unum lucu- lentissimis eiusdem sacri codicis testimoniis edoce- mur, ipsa iam Mosis aetate Legem Hebraicam in Scriptam et ore datam seu Traditionem fuisse bi- partitam. Et sicut illa initio quinque solum volu- minibus חמשה חומשי תורה contenta, novis tractu temporis codicibus ditata et amplificata fuit: ita etiam Traditio, quae Mosis tantum expositionibus ab origine constitit, variis postea Iudicum, Pro- phetarum Doctorumve adnotationibus saeculorum usui ac necessitati accommodatis aucta est. Litteris tamen mandatum praeter Sacros Codices ni- hil apud ipsos ad Esdrae usque tempora existisse certum est. At cum post Babylonicam capti- vitationem viderint sapientes Legem in Urbis ac Tem- pli eversione combustam fereque omnino perituram fuisse, nisi Esdras postea ipsam transcripsisset: me- tu percussi, ne in quocumque alio excidio Legem cum omnibus suis Doctoribus omnino perire con- tingeret, commentaria tam litteralia quam mysti- ca, una cum traditionibus, quae ad Babylonicam usque transmigrationem solo succedaneo quodam iure inter Prophetas et Doctores pandebantur, scri- ptis pariter ac verbo auditoribus tradere coepe-

runt. Atque hinc πολυμαθεστάτων Legis Doctorum genus oritur novum, multosque per annos perstitit. Ut enim e Iudaeorum Catholicorumque chronologia constat, innumeri ex iis, qui ab Esdra ad ultimum usque Urbis excidium Iudaicae Scholae praefuere, Viri Magnae Synagogae nuncupati, atque ex ipsorum discipulis, plurima de Legis explanatione scriptis auro cedroque dignis reliquerunt. Id etiam erui posse videtur ex Iesu Ben-Sirach praefatione ad suum Ecclesiasticum. Ex eis autem quidam Christi antecesserunt adventum; ex quibus nonnulli Spiritu Sancto afflati quandoque loquebantur, proindeque Legem et Prophetas exponentes pulchra quidem de Messia, aliisque Divinitatis arcanis tradidere. Nec id fortassis mirum, temporum habita ratione. Quinimo non undique verum est eos, qui initio nascentis Ecclesiae Scripturas interpretati sunt, omnes omnino obstinatis animis caecaque mente Prophetas de Messia loquentes in malum semper sensum detorsisse. Ipsorum enim nonnulli plurima quidem mirandaque de Christo reliquerunt, quorum varia opuscula posteriores Iudaei, Gentis suae immundissima fex, vel corrumpere, vel quominus ad manus perveniant nostras pro viribus occulere nituntur. Horum igitur omnium Sapientum chronologicum criticumque hic contexere catalogum, res ipsa postulare videbatur: sed nimis operosum foret. Aliqua tantum praeclara nomina, ne oscitantiae inuramur nota, ex veterum Iudaeorum Catholicorumque sententia perfunctorie licet enarrabimus.

Atque initio quidem silentio praetermittere non possumus Septuaginta duos illos Hebraeos Scripturarum Interpretes, quibus graecam Sacrorum Codicum LXX. nuncupatam versionem debemus, quique nedum Hebraica, Chaldaea Graecaque lingua, verum et omni disciplinarum genere inter ceteros claruerunt: quinimo et in nonnullorum sententia, Spiritu Sancto quoque afflati sunt. Iesu quoque Ben-Sirach avi sapientissimi exempla imitatus, inter alia praeclarum illum Canonicum edidit librum, quem nos *Ecclesiasticum* nominamus, Hebraei משלי *Parabolas*, quique licet in eorum canone minime reperiatur, magnae tamen apud ipsos est auctoritatis. Floruere postmodum Aristobulus, insignis ille Iudaeus, Peripateticae sectae Philosophus, qui in suis ad Mosem commentariis multa de Messia pulchreque disseruit. *Rabbenu* item *Haccados* רבנו הקדוש (primus scilicet) quem eruditissimus quidam Catholicus non abs re *Doctorem sanctum* appellatum fuisse existimat, „cum in *Libro* quem גלי רזיה *Revelatorem secretorum* appellavit Spiritu Sancto afflatus ita plane cuncta „Domini nostri Iesu Christi aperuerit mysteria „ut non futura praedixisse, sed res gestas cum „Evangelista narrasse videatur“ (1). Paulo post Nehumia Ben-Haccana non tantum ea quae a Prophetis de Messia occulte tradita fuerant, limpidissime patefecit, verum etiam se ab eius ortu

(1) *Eruditus Petrus* tholicae veritatis *lib. 1. Galatinus de Arcanis ca. cap. 3.*

dimidio tantum saeculo procul esse asseruit ; atque Haccanae filio suo , que in Messiae temporibus victurum et sperabat et gaudebat , Redemptoris mysteria reseravit tractatu illo , quem אגרת הסודות *Epistolam* nempe *secretorum* appellari voluit. Huic fere coaetaneus exstitisse fertur Ionathas Ben-Vziel Hillelis auditor , Simeonisque Iusti , qui Messiam infantulum in ulnis suscepit , condiscipulus. Hic Ionathas vetus Testamentum Chaldaico donavit idioma , et ita obscurissima quaeque exposuit , ut non translatio , quin potius Glossa et expositio videatur : eam Hebraei תרגום *Targum* appellant , tantaeque apud ipsos est auctoritatis , ut nec ei contradicere audeant , et fere eandem fidem quam sacro Hebraico fonti adhibeant. Ibi et quae de Messia latenter annuntiata fuerant , clariora reddidit , et Triados Beatissimae Personas suis nominibus expressit (1). Simeon postremo Ben-Hillel , quem Talmudistae ob eius praecipuam sanctitatem צדיק *Iustum* cognominant , et in quo Academie magnae Synagogae sceptrum defecisse in פרקי אבות affirmatur , multa quidem de Messia propheticè cognovit palamque loquutus est : cumque in ultima

(1) *Sic invenitur in ablatu , ut patet ex codicibus vetustioribus collatione veterum codicum , quorum unum se Isaiæ : קדיש אבא קדיש ברא קדיש רוחא קדישא : licet hic locus a recentioribus Rabbini fuerit* vidisse affirmat vir cl. Petrus Galatinus Lib. 2. de Arcanis catholicae veritatis cap. 1.

senectute a Spiritu Sancto accepisset , haud se visurum mortem nisi oculis Messiam videret : Christum postea בן ארבעים ימים ulnis amplexus , eum Divino edoctus Oraculo Redemptorem Israël esse cognovit , de quo tot ac tanta fuerat prae loquutus : gaudioque exuberans illum cecinit propheticum hymnum , coelesti dulcedine ac suavitate plenum : *Nunc dimittis servum tuum Domine secundum verbum tuum in pace.*

Plurimi etiam post Christum passum similes exstitero Doctores , inter quos omni aevo celebratissimi Philo , Iosephus Ben-Matathia , Haccana Ben-Nehumia , Gamaliel , Pauli Apostoli Praeceptor , aliique bene multi , a quibus recensendis taedii vitandi causa supersedemus. Et en pauca quidem inter alia quamplurima Sapientum Rabinorum scripta , qui dum iisdem temporibus Legem Prophetasque exponebant , plurima disciplinae capita tradidere , atque ex ipsorum sententiis et constitutionibus totus fere ille humanarum legum codex compactus est , quo universa hodiernum Iudaeorum gens utitur et gloriatur. Cum enim II. aerae christianae finiente saeculo vel III. ineunte R. Ihuda κατ' ἐξοχήν RABBI vel רבנו הקדוש Rabbenu Haccados (secundus tamen) appellatus , illa scripta , quibus potissimum erant innixae ipsorum traditiones , in maximo videret erroris corruptionisque periculo versari , humanamque ipsorum iurisprudentiam fluxam omnino , nec firmo uno consistentem loco , praesertim post Urbis per Titum Vespasianum excidium : celebriora Doctorum pla-

cita certis aphorismis distincta in unum codicem compilavit, quem משנה *Mischna*, quasi תורה משנה secundam scilicet aut iteratam legem appellavit, prout item Romani Codicem *repetitae praelectionis*. Eum doctissimas cum canonici tum civilis Hebraici iuris Pandectas recte appellaveris, quippe cui potissimae in utroque iure partes iam a sui formatione fuere semper a Iudaeis attributae. Nec defuere doctissimi inter ipsos Doctores, qui eum ab ipsa compilatione perpetuis notis illustrare, quaedam ex veteribus Rabbiniis addere, eumve clariorem pro temporum necessitate reddere curarent. Horum additiones interpretationesque postea collectae, codicis משנה complementum, Glossam seu *Gemaram* (a גמר complere) constituerunt. Ea duplex hodiernum existit, quarum una Hierosolymitana, Babylonica altera appellata est, prout vel a Doctoribus et Scholis in Iudaea seu terra Israëlis (cuius caput Hierosolyma) celebrioribus prodit; vel ab aliis postea Hebraici iuris consultissimis Rabbiniis in scholis Babylonicis conflata. Cumque ex unaquaque Gemara uni codici משנה seorsum adiecta illud quod ab Hebraeis Talmud תלמוד appellatur consurrexerit; ab illa Gemara operi *Mischnico* suis locis aptata *Talmud Hierosolymitanum*; ex hac vero *Babylonicum* efformatum est. Hierosolymitani Talmudis משנה et in ordinibus mutilata, et in verbis non parum a Babylonica discrepans nunc invenitur. Eiusdem Gemara quod plenior, brevior, ad utrumque, maxime novum Testamentum exponendum aptior, nec adeo nu-

gis, fabellis, alegoriisve scatens Catholicis Doctolibus visa fuerit, ipsis prae Babylonici commendabilior evasit. E contrario vero, Hebraei Hierosolymitana relicta, utpote obscura, ut ipsi aiunt, difficili, imperfecta, Talmud Babylonicum ab eius formatione tum in sacris, tum in politicis ad nostram usque aetatem ambabus ulnis amplexati sunt.

Igitur duplex ille Hebraicarum Antiquitatum fons diversis e locis derivandus: *Lex* nempe a sacris codicibus: *Traditio* vero (humana de qua nobis hic sermo) ab utroque Talmude, et illis, e quibus hoc compactum est, fidedignis veteribus Iudaeorum scriptis: sed praecipue a Talmudis משנה, quae apud Hebraeos primus Legum humanarum et sapientissimus codex nec immerito praedicatur. Nos ergo qui iam alias, dum nempe in novum Linguae Hebraicae Candidatorum ordinem cooptaremur, Antiquitates ex Lege, eas nempe quae immediate suaque sponte ex Sacro Codice fluunt, publice exponendas suscepimus, altera nunc via incedere statuimus, atque Antiquitates ex Traditione describere. Et ne id ordine praepostero fiat, ipsas, prout e sacro etiam fonte ut plurimum originem ducentes, sacris antiquitatibus suis locis aptare curabimus. Atque ut id facilius praestare possimus של משנה *sex* nempe *operis Mischnici ordines* percurremus. Eo tamen hanc viam cepimus consilio, quod plurima illo in opere eruditissima, scituque digna reperiantur, quae si a quibusdam nugis, anilibus fabulis Rabbinicisque tricis, quibus involvuntur,

quasi a paleis repurgentur, viro catholico, sacrarum praesertim litterarum amatori iure merito dignissima censeantur: ipsorum etenim ope clario-ri in luce saepe saepius nedum aliqua utriusque Testamenti loca, verum et ipsamet catholicae veritatis arcana collocari ex sapientissimis quibusdam Ecclesiae ὀρθοδόξως Doctoribus didicimus. Hi certe quandoque ex Mischna, utroque Talmude, Targum, aliisque Iudaeorum scriptis ad ipsorum per- vicaciam debellandam secretiora fidei mysteria ex- ponere avibus nimium faustis atque oscine dex- tro aggressi sunt. Inter hos omni laude maiores invenimus duo Hispaniae nostrae clarissima orna- menta, Raymundum Martini in *Pugione fidei*, et Petrum Galatinum in *Arcanis catholicae verita- tis*. Horum igitur vestigiis insistere haud quaquam dubitavimus. Non quod profunda Religionis ar- cana nunc reserare animo conceperimus: incumbant his feliciora illa ingenia quibus abditissima haec Divinae scientiae adire penetralia coelitus da- tum sit; interea dum nos pro nostri ingenii te- nuitate humanas tantum de Antiquitatibus Hebrai- cis traditiones, eas praesertim quae in משנה de- litescunt, secundum eiusdem operis seriem inve- stigamus. At Mischnicorum ordinum nec omnes traditiones, immo nec codices omnes ad lydium, ut aiunt, lapidem revocare pollicemur: tum quod nobismetipsis conscii simus, nostri

. *quid ferre recusent*

Quid valeant humeri

tantoque oneri vires minime sufficere, non pudet

palam profiteri : tum quod nec omnium materias
 aeque necessarias aut pari dignas labore credamus;
 tum denique quod in ipsarum traditionibus ad
 quaedam levissima et puerilia descendatur, quae
 agere, viro dedecet catholico. Igitur ubi ordinum
 inscriptiones, argumenta, series, codicesque bre-
 vi suis locis perstrinxerimus, quosdam ex unoquo-
 que ordine codices hinc inde conquisitis doctri-
 nis explanandos seligemus, eos praesertim, quo-
 rum argumenta et decisiones aut clarius et copio-
 sius ex Sacro Codice suam repetant originem, aut
 faciem praeferre videantur ad aliqua sacrae Scriptu-
 rae loca clarius faciliusque perscrutanda. Ex hac
 item quaedam prout ratio tulerit depromere et
 praemittere curabimus, ne traditionibus tantum,
 ordine quidem praepostero, ingurgitati, verum
 ipsarum divinumque fundamentum relinquere vi-
 deamur.

הששה סדרים

של המשנה

ANTIQUITATES HEBRAICAE

AD SEX ORDINES MISCHNAE.

Sex in primis totius משנה praecipuas effecit partes sapientissimus eiusdem compiler *RABBI*, qui eas סדרים *Ordines* appellavit, atque hanc ipsorum seriem adhibito consilio duxit constituendam Ordo I. זרעים *Semina*: Ordo II. מועד *Tempus statutum*, seu *Festum*: Ordo III. נשים *Mulieres*: Ordo IV. נזיקין *Damna*: Ordo V. קדשים *Sanctitates*: et Ordo VI. טהרות *Purificationes*. Huius autem seriei non contemnendam reddidit rationem πολυμαθέστατος Maimonides in memorata ad Mischnam praefatione. Quatuor, inquit, priorum סדרים argumenta liber Exodi complectitur, a quo ad Levitici librum se contulit (*RABBI*) iuxta libri coelitus lati seriem. Inter illa vero principem concessit locum Ordini זרעים, quod in eo praecepta ad terrae foetus proprie spectantia continentur, praecipuum scilicet animalium alimentum, sine quo vix possint homines in vivis conservari, Deumque cultu aliquo adorare; atque ut haec potissima ratio prima fronte appareret ipsum

Ordinem מַסַּכַּת בְּרִכּוֹת a *Co-*
dice nempe *Benedictionum*.

Huius primi Ordinis argumentum ex capite
xxiii. Exodi v. 10. desumptum apparet. Sed cum
ibidem postea vv. 12. et 17. praecepta de Sab-
bato et Festis inveniantur, alter Ordo inscriptus
fuit מוֹעֵד agiturque in eo de sacris temporibus,
festisque diebus. Iudicia dein נְשִׂיִם de *Mulieribus*
reliquis libris praemisit, vestigia sequutus
Textus sacri cap. xxi. Exodi, ubi postquam de
mulieribus vv. 7. et 22. verba facta sunt, reli-
qua exponuntur damna a v. 28. *Et*
si cornu petierit Bos. Levitici tandem liber, qui
ab initio de Oblationibus, deinde vero a sectione
כּוֹז seu cap. ix. וַיְהִי בַיּוֹם הַשְּׁמִינִי *Fuit autem*
die octavo, de Purificationibus praecepta propo-
nit Ordinibus קְדָשִׁים et טַהֲרוֹת quibus מִשְׁנֵה
fitur, praebuit argumenta.

סדר זרעים

ORDO I.

DE SEMINIBVS.

‡ *A* quo tempore recitant שמע *vesperi*? His ver-
bis incipit Mischna, ordinis nempe I. codex בְּרִכּוֹת
de Benedictionibus. (2) Et quidem סדר זרעים
de Seminibus Ordo reliquis hic praemittitur: in

eo enim de illis agitur quae terra producit, quae foetu suo adeo multiplici et animalibus et homini alimenta ministrat, e quibus omnibus primum Creatori, necessaria ista bona tam liberaliter largienti, in grati animi testimonium praecipua munera erant offerenda. (3) Cumque omnium praecellentissima sint preces, quibus Deo nihil quidquam gratius et homini salutarius esse potest; a tractatu ברכות de *Benedictionibus* totius Mischnae sumptum est exordium. Inter ipsas autem ab illo inchoatur praeccepto quo unusquisque quotidie ad recitationem *Audi* seu קריאת שמע tenebatur; recte igitur ab illa interrogatione Mischnae totius exordium.

(4) Haec lectio שמע mane et vespere instituenda: ipsam mane committabantur preces duae antecedentes, una subsequens: vespere autem undique duae. (5) Ipsa erat una ex Philacteriorum pericopis: indeque nullo negotio vindicari posse videtur Lightfootus ab illa cuius ipsum accusat Guisius oscitantia, quod nempe ita reddiderit illud Mischnae initium: *¿ a quo tempore recitant philacteria?* (6) R. Gamaliel respondebat; *Ex quo admittuntur Sacerdotes* (immundi, Levit. xxii. 7.) *ad primitias, usque dum ascenderit columna aurorae: alii usque ad mediam noctem: R. Eliezer, ad finem usque primae vigiliae.* Vna fere omnium sententia. (7) Mire hic se torquent Doctores in definiendo vigiliarum numero: nos disertissimis verbis quatuor illas fuisse habemus Matth. xiv. 25. idque non tunc ex Romanorum, sed ex veteri iam ipsorummet Iudaeorum usu obti-

nuisse credimus ; praesertim cum nusquam in sacris codicibus tres tantum vigiliis exstitisse aperte memoratum hucusque invenerimus. (8) Nemo liber erat a $\gamma\mu\psi$, nisi ipsi impedimento foret cordis intentio in causa praecepti ; sic exponit R. Maimonides. (9) Atque hac unica regula fere omnes immunitates a lectione possunt exponi , in quibus enumerandis aequo prolixior Mischna. (10) Ea de causa R. Gamaliel nocte prima qua uxorem duxerat mirantibus discipulis recitavit , licet ex traditione immunis ea nocte videretur : ob mortem autem servi , de qua nihil constitutum , destitit a lectione. (11) Speciales pro unoquoque fructu ac necessitate benedictiones habebant , quas hic omnes referre nimis longum. (12) A benedictionibus revertitur Mischna ad eam quam sibi in hoc ordine proposuerat materiam , *semina* nempe. (13) At cum e terrae fructibus vesci non posset homo , nisi ipsos colligeret meteretque ; et hoc ipsi non liceret nisi illo agri הנה Angulo pauperibus relicto , cuius exstat praeceptum Levitici xix. 9. unde huius codicis II. desumptum argumentum ; hinc de Seminibus proprie acturus compilator ab hoc הנה merito incipere voluit , et in codice hoc ipsum nomen inscribere. (14) Atque hic agri angulus non metendus unum erat ex quinque illis privilegiis , quae pauperibus indulserat Altissimus , ut expresse habetur in Levitici loco citato. (15) Spicae item decedentes שבל ab Hebraeis dictae , et uvae cadentes ibidem pauperibus conceduntur , sicut et Deuteron. xxiv. manipulus et olivae per oblivio-

nem in agro relictæ, quæ nomine **הכחש** ab eisdem nuncupantur. (16) Decimas tandem pauperum dictas, quas Hieronymus *πτοχοδεκάδας* appellavit, ceu *δεκάτην τρίτην* persolutas fuisse post secundas Iosephus antiquit. iv. 8. innuisse videtur. (17) Ethnicus, qui suæ segetis messe peracta fieret proselytus, statuunt Doctores non teneri ad **הכחש** sicut nec ad **שקל**, nec ad **הכחש**. (18) Quamvis autem in Lege nihil de anguli huius mensura definitum inveniatur, ea tamen Doctorum decretis statuta fuit, ut videre est iam ab huius codicis initio; atque in ea describenda adeo multi immo et nimii nobis visi sunt, ut ne hic molesti simus, ipsis hæc perscrutanda relinquemus.

(19) Sicut in operibus servilibus septimum quemque diem, ita et in terræ fructibus colligendis eundem sibi Dominus septimum quemque annum consecravit; illum ad hominum, hunc ad terræ quietem.

(20) Unde licet **שמיטה** *Schmita* in Deuteronomio, et **שביעית** in Mischnæ codice septimus hic annus appelletur; at in Levitico et quidem frequentius **שבת** et **שבתון** *Sabbatum* nominatur. (21) Igitur non omnino opera ludere videntur, qui de hoc Sabbatico anno exponunt illa Christi verba Matth. xxiv. 20. *προσεύχεσθε ἵνα μὴ γένηται ἡ φυγή ὑμῶν χειμῶνος μηδὲ ἐν σαββάτῳ: orate ne fuga vestra fiat hieme nec in Sabbato*: quia nempe sicut hiems, ita et annus Sabbaticus, cum vix ullæ fruges in agris invenirentur, tempora fugientibus maxime incommoda forent. (22) Iudæorum traditione, nec quidem firmamento in

sacris Litteris destituta, hic annus a mense Tisri, non vero a Nisan initium accipiebat. (23) Duplex שַׁמְטָה hoc anno statuta erat, seu ad duo capita huius anni iura referebantur, scilicet שַׁמְטַת הָאָרֶץ, *quies terrae*, quae nec seri poterat nec meti: et שַׁמְטַת כֶּסֶף, *quies seu remissio debitorum*, integra anteriori Schmita, seu annis sex ante elapsis contractorum. (24) Quod attinet ad illa, sponte naturae סְפִיחִים promiscuus usus Levit. xxv. 5. statutus erat, immo Exod. xxxiii. 11. pauperibus et pecudibus concedebatur, licet postea ex traditione aliam Rabbini sibi commodiorem introduxerint disciplinam, ex qua בִּיעוּר *polluctura* hoc codice descripta descendit. (25) Licebat item hoc anno, ut constat ex cod. שְׁקָלִים, homines ad id conducere, ut ex sponte natis ad manipulum paschalem et panes pentecostales quaedam reservarent. (26) Septimo item anno licet non esset שַׁמְטָה, immo nulla ad ipsam habita ratione, servorum dimissio fieri iubetur ex Lege; id quod etiam traditione confirmatur. (27) Sabbaticus annus liber erat a primitiis, primitiis, omnibusque decimis e terrae fructibus, quae tamen omnia reliquis integrae Schmitae annis solvebantur. Et haec causa, cur a codice שְׁבִיעִית ad תְּרוּמוֹת similesque alias oblationes in hoc ordine descendatur.

(28) Atque initio quidem nullam *primitias* inter et *primitiva* distinctionem agnoscere, quidam existimarunt: verumtamen nos haec duo distincta considerabimus; cum et ex Sacro Codice, et ex Iudaeorum traditionibus בְּכוֹרִים *primitiva* a *primitiis* תְּרוּמוֹת appareat fuisse diversissima (29) Prae-

cepta hic de *primitiis* codice VI. traduntur ; ultimo vero de *primitivis* ; quibus interseruntur *decimarum* iudicia codicibus VII. et VIII. ; haec nos omnia alio nunc ordine describemus , eo nempe quo e terrae fructibus erant separanda. (30) Atque hac ratione בכורים *primitiva* reliquis omnibus praeponimus , cum eorum respectu dominus aut primos ante maturitatem fructus ipsa in arbore notaret , aut si ex collectis seiungebat , ipsas primitias et omnes decimas praecederet primitivorum separatio. (31) Ex omnibus terrae fructibus adduci debere primitiva Deut. xxvi. expresse fuerat mandatum ; id quod et Nehemiae x. usu confirmatum invenimus. (32) At quia septem tantum fructuum species Deuter. VIII. resercentur , nullas alias legibus primitivorum subiici Iudaei continent. (33) Debebant primitiva nedum secerni , sed seligi , recentiaque , si posset , adduci. (34) Horum mensura ex Lege mansit indefinita : sapientum vero decretis constitutus erat numerus , quem nomen טנה *canistrum* designat. (35) Poterat nihilominus totius agri proventus לבכורים in primitiva , at non לתרומות in primitias consecrari. (36) Tempus item quo debuerint Hierosolymam adduci primitiva definitum est in hoc codice a Rabbinis , qui ex capite tum Exodi , tum Levitici xxiii. 16. colligunt esse debuisse nec ante Pentecostes nec post Encaeniorum festum. (37) Appendebantur plerumque canistro quo immittebantur ordine certo primitiva , turtures , aut pulli columbarum , atque hoc modo ad atrium maxima pom-

pa afferebantur. (38) Confessio deinde super iis recitabatur: (39) A qua mulieres, tutores, servi eximebantur, quin et confessione carebant, quae post tempus statutum portabantur. (40) Recitata confessione Sacerdotes τῆς ἐφημέριδος ea inter sese dividebant, et Hierosolymis vescebantur, dum dominus ipse ibidem pernoctabat. (41) Primitivorum selectioni proxima erat primitiarum separatio, quas quidem תרומות Hebraei, Graeci vero ἀφαιρέματα, vel ἀπαρχὰς τῶν γεννημάτων appellabant. (42) Has Sacerdotibus donabant Hebraei de fructibus terrae Israëliticæ; sed accipiebantur etiam e vicinis quibusdam, dummodo in terram Israëliticam non inferrentur. (43) Debebant esse fructus hi hominum usui praeparati, in quo a primitivis discrepabant, quorum fructus nisi urgente necessitate non debebant elaborari. (44) Neque primitiarum mensura lege fuerat definita: at Iudaei ex ipsa voce תרומה, qua תרי"ג ממאה innui putabant, duas centesimas constituerunt. (45) Vnde Hilleliani opinabantur, Liberalem unum solvisse ex quadraginta; Schammeani vero, ex triginta. (46) Atque hinc dum Ezech. XLV. 13. dicitur ששית האיפה מחמר *sexta Ephæ de Homer*, quae est sexagesima tantum: existimant nonnulli ibi prophetam, quam solebant avari dare mensuram adduxisse. (47) Quamvis Dominus cuicumque vellet Sacerdoti reddere posset primitias, pro temporum tamen necessitate aliquando haec disciplina mutata fuit. (48) Vnde necessario Sacerdotibus in templo ministrantibus dari, et ad conclavia deferri

praeceptum fuerat Nehem. x. 37. quod ideo fortassis factum, ut maior Sacerdotum frequentia conflueret ad templum. Simile quid factum videtur II. Chron. xxxi. (49) Sacerdotum quidem usui cedebant primitiae; at eas vel coctione, vel mixture ita permutare ut aliam induerent naturam, atque ex solido in liquidum converterentur (uvas excipe et olivas) illicitum ipsis fuisse, Doctorum constat traditione. (50) Ablatis primitiis, e reliquo fructuum acervo decimam dominus partem Levitis quibus vellet donabat, atque haec *משען ראשון* seu *δεκάτη πρώτη* *decimae primae* appellabantur. (51) Inde Sacerdotibus decimam pendere tenebantur Levitae, quae *משען מן המשען* *decimae e decimis* erant. (52) Primis illis ablatis, secundas iterum decimas separare dominus debebat, easque Hierosolymis comedere, atque hae *משען שני* *decimae secundae* dictae sunt. (53) Quae tandem cum non comederentur Hierosolymis anno tertio et sexto τοῦ *שמש*, pauperibus dari et *משען עני* *pauperum decimae* appellari solebant. (54) Quatuor igitur fuerunt species decimarum. (55) Solus annus τοῦ *שמש* liber erat a primarum decimarum solutione: dabantur ex omni proventu, qui in escam cedit et custoditur, atque ex omni terra, sola excepta *ארץ לוי*. (56) Tradebantur Levitis non Sacerdotibus, quin huic Dei mandato adversetur Paulus Hebr. vii. 5. dicens: *οἱ μὲν ἐν τῶν υἱῶν λευὶ τὴν ἱερατείαν λαμβάνοντες ἐντολὴν ἔχουσιν ἀποδεκτοῦν τὸν λαὸν κατὰ τὸν νόμον*. hac enim phrasi expressit Levitas, quorum tribui iu-

ra Sacerdotii fuere concessa. Vnde haec verba τὴν ἱερατείαν λαμβάνοντες eandem vim habere videntur, ac illa Iosue xviii. 7. לויים כהנת יהוה נחלתו. *Levitis Sacerdotium Domini hereditas eorum.* (57) Decimas e decimis Sacerdotibus pendebant Levitae, vel ipsemet Israëlita, cui proinde licitum erat primas decimas hac parte minuere eamque Sacerdotibus tradere. (58) Harum decimarum solutio ex *Lege* quidem erat, locus autem quo essent deferendae ad disciplinam spectasse videtur. (59) Hieronymus ad Ezech. xlv. has appellavit δευτεροδικάδας *secundas decimas*: Iudaei tamen hoc nomine illas tantum decimas appellasse constat, quae a domino post primas e fructuum residuo separatae, Hierosolymis ab ipso, non tamen in luctu neque in immunditie, Sacerdotibus et Levitis in convivium adscitis, comedebantur. (60) Earum pretium solo cibo, potui vel unctioni Hierosolymis impendere licuisse asserunt Iudaei in vii. שביעית. (61) Tobias solum innuit in Ierusalem expensas fuisse. (62) His igitur omnibus rite legitimeque e terrae fructibus separatis sacratisque הדיית המעשר illam *decimarum* confessionem Deuter. xxvi. 13. descriptam dominus edere tenebatur: at eam ceu Iudaei tradunt Iohannan P. M. abrogavit, eo quod ab Esdrae temporibus in decimarum solutione mutata fuerit disciplina.

ORDO II.

DE FESTIS.

Seminum libro praemisso ipse rerum ordo postulabat ut eum alter exciperet qui מועד seu de *Festis* inscriberetur, sicut ipse iam nobis divinus Legislator eadem methodo sua tradiderat praecepta. (2) At cum inter omnia festa praeceptum de Sabbato primum sanctissimumque fuerit, atque etiam septimo quoque die celebraretur, totiesque proinde in anno rediret, idcirco tractatum de Sabbato reliquis omnibus Auctor Mischnicus anteposuit. (3) Cum enim homo infirmus quotidie terram exarando, vel conserendo, vel fruges illius colligendo laboraret, et in terrenis assiduus esset, sapientissimo Numini corporeum aliquod otium illi concedere placuit, ne terrenis plane immergeretur, et ut coelestia meditando corpus animumque recrearet, Deoque pro tantis in omni rerum genere beneficiis gratias ageret, haberet, referret. Et is nedum in Sabbato, verum et in aliis festis pro locorum et temporum ratione scopus fuisse videtur. (4) Profecto in ipso iam Genesis exordio dies septimus hac de causa sacratus, nomenque שבת *Sabbati* ipsi impositum apparet: licet postea sacri etiam codicis usu iam latius iam

minus late hoc שבת nomen usurpetur. (5) Integrae hebdomadi Luc. xviii. 12. datum invenitur : *νηστεύω δις τοῦ σαββάτου*, *ieiuno bis in Sabbato*. Levit. xxxiii. 16. integram etiam hebdomadam significasse videtur. (6) Immo et septennariae quaeque res, ut annus שמיטה, mensis תשרי festa, et si quae sunt alia, hoc eodem in Scripturis nomine שבת donari solent. (7) Verum et in huius Ordinis Codice I. et hic a nobis septimus tantum hebdomadis dies, quieti et divino cultui singulari ratione consecratus, hoc שבת *Sabbati* nomine significabitur. (8) Sed in huius tractatus exordio illud occurrit Sabbatum *δευτεροπρωτον* quod mire Interpretum exercuit ingenia, et in quo Luc. vi. Christi discipuli spicas evellentes apparent maximo cum Pharisaeorum scandalo. (9) Nos tamen omnibus rite perpensis non omnino extra chorum illos credimus prosilire, qui hoc ראשון השני שבת *σάββατον δευτεροπρωτον Sabbatum secundo primum* idem esse intelligunt ac ראש השנה שבת *Sabbatum principii anni*, utique ecclesiastici; seu potius Sabbatum primum post diem secundum azy morum, decimumsextum nempe Nisan: atque ex hac fortassis Hebraeorum phrasi ראש השנה, illam graecam *δευτεροπρωτον* ortam fuisse suspicantur. (10) Perfecta quies et diei sanctificatio in Exodo praecepta fuerat, ita ut publice Deus singulari ratione coleretur per preces, Sacri Codicis lectionem aliaque exercitia pia: ab omni opere cessandum esset, nec iter peragendum. (11) Tres quietes Sabbatum involvere Schameani asserebant, scilicet

וכלים , בהמה , שביתת אדם , *Hominis nempe, iumentis*, et *vasorum*, quarum tertiam Hilleliani non omnino concedebant. (12) In templo non habebatur ratio Sabbati: profecto אין שבות במקדש *Non est Sabbatismus in Templo*, phrasis erat Hebraeorum, sed quam ipsamet Veritas confirmavit Matth. XII. ἱερεῖς ἐν τῷ ἱερῷ τὸ σάββατον βεβηλοῦσι καὶ ἀναίτιοί ἐσι. (13) Iter Hebraeis Sabbatho prohibebatur illis Exodi XVI. 29. verbis איש ממקומו אל יצא: *nemo egrediatur e loco suo*: verum cum Levitici XXIII. 3. Sabbathum מקרא קדש dicta fuerit, merito Doctores decrevere, spatium quo Arca et castra inter se distabant, illa Exodi lege prohibitum non fuisse; indeque bis mille cubitos Sabbatho peragrari posse: et hoc illud est spatium quod Actor. I. σαββάτου ὁδὸς appellatur. (14) Postquam primum, antiquissimum ipsique mundo coevum Sabbati festum, eiusque praecepta exposuerit Mischna, alia tria, רגלים appellata, principaliora festa, nempe והחג, והעצרת, והפסח, assumit perscrutanda: atque a פסח *Phase* omnium sanctissimo incipit. (15) Tria capita hoc פסח Pascha complectebatur: agnum paschalem, panes azymos, et manipulum hordeaceum: et hinc est quod hoc festum ἑορτὴ τῶν ἀζύμων appelletur; ut enim Philo dixit lib. *de festis*: συνάπτει τοῖς διαβατηροῖσις ἑορτὴ ἀζυμα. (16) Et quidem a 14. Nisan בין הערביים Pascha et Azyma incipiebant: illud ea nocte finiebatur, dum haec per integrum septiduum durabant. (17) Ea nox [quae πρώτη τῶν ἀζύμων ab Evangelistis nuncupatur, quasi

πρωτέρα vel פּרֵנִי מַפְסֵה, quo quidem sensu et Iohan. i. 30. et Luc. ii. 2. et Iob xv. 7. ipsaemet voces accipiuntur] Agno Paschali immolando adeo stata erat, ut nisi in ipsa nec debuerit nec potuerit primum Pascha celebrari. (18) Igitur ea ipsamet nocte, quae inter v. et vi. feriam eo anno incidit, Christus Dominus et Pascha ultimum comedit et Eucharistiam instituit, cum iam azymorum praeceptum inchoasset. (19) Plurima in edendo Agno ex Doctorum traditionibus observabantur, quae non modicam Evangelicae historiae lucem afferre videntur. (20) Primum, nec a meridie diei 14. Nisan comedi poterat fermentatum, immo et antequam dies 15. inciperet, debuit summa cura e domibus omne fermentum aboleri: et hinc maximam lucem credimus accipere illa verba Pauli i. Corinth. v. 7. ἐκκαθάρατε οὖν τὴν παλαιὰν ζύμην cet. (21) Panem azymum Paterfamilias uniuersaeque convivae fractum distribuebat: hoc modo Christus ἔκλασε τὸν ἄρτον ut aiunt Evangelistae. (22) Tria quoque pocula vini ab unoquoque etsi pauperrimo ebibi debebant, quorum tertium כּס כּרְבֵּי *Calix benedictionis* dicebatur: sic et Evangelistae tradiderunt quemdam a Christo calicem fuisse benedictum. (23) Atque hic esse calix ille videtur quem i. Corinth. x. 16. τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας Paulus appellavit. (24) Pocula illa debere quidem aquam vino mixtam habere: atque inter ipsa לֵלֵךְ *Hymnus* canebatur, quod et Marcus expressit cap. xiv. dicens: καὶ ὑμνήσαντες ἐξῆλθον. (25) Paschatis festum septem dies azymo-

rum sequebantur , in quorum secundo , nempe 16. Nisan , Manipulus Paschalis offerebatur in ירציר ראשית ex lege Levit. xxiii. 10. (26) Ab hoc die septem hebdomades numerabantur , id est 50. dies , in quorum ultimo festum , ideo dictum *Pentecostes* , ab Hebraeis שבועות ארבעה Solemnitas *Hebdomadarum* celebrabatur , quod adeo arctissime Paschati adhaerere videbatur , ut הפסח של תרצו *Conclusio Paschatis* ab ipsis appellaretur , et a Philone lib. *de fest.* secundus dies azymorum dicebatur προέορτον ἑτέρας ἑορτῆς μείζονος , *Profestum alterius festi maioris* , scilicet Pentecostes. (27) Vnius tantum diei festum erat , et in eo panes duo [חלהותי ואת' עֶשְׂרֵת dicti] ex novo tritici in terra Israëlitica proventu offerebantur. (28) Magnum gaudium hoc in festo praescribatur Deuter. xvi. idque ob Legem acceptam post fractum Aegyptiaca e iugum servitutis.

(29) Tertium festum לגר *Tabernaculorum* , ארבעה תבועות appellabatur , vel item ארבעה אפלאים et a Philone ἑορτὴ σκηναῶν. Agebantur haec sacra

Saepe sub autumnum cum formosissimus annus

Plenaque purpureo subrubet uva mero.

(30) Vnde cum vix aliqui festi dies maiori cum solemnitate celebrarentur habitatione in Tabernaculis , ramorum in manibus gestatione , lautissimis mensis , cantu זמירות , facibus lychnuchisve noctu in atrio accensis , ac tandem laetissimo vindemiae tempore ἀκμάζοντι τρυγητῶ ; hinc est quod ארבעה אפלאים et a Plut. lib. vi. συμπος. dicitur esse μεγάλη στήν καὶ τελιοτάτην ἑορτήν : immo et Gentes

apud quas tot ac tanta laetitiae genera a Iudaeis hoc in festo ac tempore acta pervenerant, Bacchum ab iis tunc praecipue coli crediderunt. (31) Levit. XXIII. ipsemet Deus haec solemnia praecipiens eorum reddidit rationem, ut nempe in memoriam revocarentur illi 40. anni, quibus Israëlitae in Tabernaculis, dum ad terram suam pergerent, habitarent. (32) Inter alios huius festi ritus ex decreto Rabbanitarum hic memorari meretur $\square\text{מיה תיסני}$ *aquae libamen* ad eliciendas a Domino pluvias in annum sequentem, quum iam tempus sementis instaret. (33) Hoc innui putant Rabb. Ies. XII. 3.; itemque a Davide II. Samuel. XXIII. fuisse observatum. (34) Quidquid sit de vero horum locorum sensu, nos certe ad hunc ritum Christum Dominum respexisse credimus Iohann. VII. 37. cum *in novissimo die magno festivitatis stetit et clamavit dicens, si quis sitit veniat ad me, et bibat.* (35) Decimus Tisri dies solemnii expiationi destinatus, $\alpha\pi\lambda\omega\varsigma$ נמיו *Dies*, hic ab Hebraeis appellatur: Actor. XXVII. 6. *νηστεία* dictus est, quod Iosepho et Philoni commune. (36) Gravibus omnino seriisque ritibus hic dies, stante praesertim Templo II. celebrari consuevit: eosque hic abunde describit codex נמיו . (37) Summa tamen huius diei disciplina, in qua mire se torquent Interpretes et Iudaei, et in qua maximum honoris gradum Pontifex adipiscebatur, erat introitus ad SANCTA SANCTORVM. (38) Philo non dubitat eo tempore Pontifici tribuere $\mu\epsilon\theta\acute{\omicron}\rho\iota\omicron\nu\ \tau\omicron\upsilon\ \Theta\epsilon\omicron\upsilon\ \Phi\acute{\upsilon}\sigma\iota\nu$, $\tau\omicron\upsilon\ \mu\acute{\epsilon}\nu\ \epsilon\lambda\acute{\alpha}\tau\tau\omicron\nu\alpha$, $\alpha\upsilon\theta\rho\acute{\omega}\pi\omicron\upsilon\ \delta\acute{\epsilon}\ \kappa\rho\epsilon\acute{\iota}\tau\tau\omicron\nu\alpha$, *me-*

diam Deum inter et homines naturam; abutitur tamen, ut id probet, verbis Levit. xvi. 17. (39) Sunt qui putent quater eo die Summum Sacerdotem אל רביר ad Oraculum intrasse; aliis contra sentientibus, eo quod id adversari videatur verbis Mosis Levit. xvi. 34, et Exod. xxx. 10., immo et Pauli Hebr. ix. 7. (40) At cum vix uno introitu ea omnia in Sancto Sanctorum peragi potuisse credamus, quae lege iubebantur, primae sententiae subscribimus.

(41) *Initium anni* seu ראש השנה Neomenia Tisri dicebatur, quod annus inde civilis inciperet; atque hac ratione, et quod mensis ille, utpote septimus, speciali sanctitate clarus esset, illa etiam inter omnes eminebat Neomenias. (42) Propriis sacrificiis celebris erat, tubarumque seu buccinarum שופר clangore; cum in aliis noviluniis usu non essent nisi חצוצרות. (43) Et hinc intelligitur, quare de sola Tisri Neomenia exponendum sit, quod ait Regius Vates Psalm. lxxxvi. 4.: תקעו בחדש שופר *clangite in novilunio buccina*: et item quare Philo hunc diem appellet σαλπίγγων ἑορτή.

(44) Praeter νηστείαν τοῦ יומא erant et alia apud Hebraeos, tum publica tum privata ieiunia quae תענית nomine appellantur, quaeque nec in sabbato nec in aliis festis cadere posse, et hoc cod. statuitur, et Iudithae exemplo cap. viii. 5. confirmatur. (45) Varii fuere ieiuniorum ritus, ut in publicis clangor tubarum, eductio arcae תיבה e Synagoga in plateas, convocatio populi, cineris inspersio תפ תיבה cet. (46) Solebant se cilicio vel

sacco indui etiam in privatis ieiuniis, id quod ex Psalm. xxxv. 13. Iob xvi. 15. aliisque locis manifestum fit: capiti quoque cinerem inspergere, nudare pedes, capillos solvere, humi iacere, cet. (47) Praecipuus tamen inter alios ritus erat, ad solis usque occasum, vel potius usque ad stellarum ortum a cibis abstinere, hinc Hieronymus adversus Iovin. lib. II. ait: *Non expectans stellam more Iudaico, sed hora sexta pransurus ascendit*: et Tertullianus de ieiuniis: *Fidem abstinentiae affectant, et stellae auctoritatem demorantis suspirant.* (48) Nec defuere qui diu notuque per triduum ieiunarent. Esth. iv. 16.

סדר נשים

ORDO III.

DE MULIERIBVS.

Postquam ea quae viros potissimum spectabant officia, in festis ceterisque in cultu divino rite celebrandis in praecedenti ordine collecta sunt, tertius hic סדר נשים *Mulierum ordo* compactus est, ideo sic inscriptus, quod in eo ut plurimum de Vxoribus in Maritos, horumque in illas agatur officiis. (2) Rupto enim per immoderatum rationis usum sinceri atque integerrimi prisca amoris vinculo, plerumque homines e carne et san-

guine compositi meris sese cupiditatibus dabant, ob levissimam quamque causam coniugii liberius faciebant secessionem, omnibusque carnalibus deliciis ingurgitati, corporeos sensus quantum pote deliniebant: sic turpissime foedabatur coniugium, quod inter duos primaevum mystici ac aeterni Ecclesiae cum Christo coniugii symbolum habebat. (3) Ne autem hocce malum vires adquiret, communionem societatesque disturbaret, et commercia hominum inter homines utriusque sexus tollerent, visum fuit humani generis Conditori suo in primis populo, tamquam legislatori omnium optimo officia quaedam inter coniuges et consanguineos proximos praescribere, quibus et lites et disidia componerentur. (4) Nihil etenim Deo, quod quidem in terris fiat, acceptius, nihil ad rectam humani generis propagationem salutaris, nihil ad pacem colendam conservandamque firmiter, quam si concilia hominumque coetus, et praecipua naturalis illa connubiorum sociatio sancta et inviolata conservetur. (5) Vt ergo haec omnia rite peragerentur, quae a Deo in Lege lata fuerant de iis praecipua abunde in hoc נשים ordine perscrutantur. (6) Et quamvis ratio doceat codicem כתובות de *Instrumento dotali*, et ultimum קידושין de *Sponsalibus* primo loco secundum rerum seriem collocandos esse ante codicem במות de *Leviratu*, quia sponsalia et nuptiae hunc casum praecesserunt: nihilominus hunc ideo praemisissum fuisse putat Maimonides, quia leviratus obligationem inducebat, matrimonium autem con-

trahere cuique fuit liberum, cum neminem ad uxorem ducendam iudices potuerint adigere.

(7) Igitur initio leviratus iure, docebant Doctores, fratrem tantum germanum aut consanguineum teneri, qui simul habitaverit, suoque fratri fuerit superstes. (8) Ius hoc non eadem vi fratriciam et levirum ligasse videtur, quinimmo illam aliquantulum adstrictius. (9) Fratriciae prima competeat actio; ut se primum ad levirum, dein, si res ita postularet, ad iudices conferret. (10) Hi postea de iure et facto inquirebant, convenientiusque suppeditabant consilium. (11) Si leviro visum fuerit coniugium contrahere, fratriae despondebat ex pacto, eique instrumentum dotale constitutebat. (12) Sin vero, discalceatio facienda erat, tunc iudices, ut discalceatio rite perageretur, utrumque, levirum nempe et fratriam, docebant lectionem formulae, quae ab utroque in discalceatione, praeter alios ritus hoc cod. abunde descriptos, lingua sancta pronunciabatur. (13) Omnibus rite peractis uterque manebat obligatione solutus levir et fratria, quae ulterius libertatis libellum a iudicibus accipiebat, cuius formulam Chaldaico idiomate nobis exhibet R. Maimonides in *Hilchot Ibbum*. (14) Donationes propter nuptias, de quibus codex כתובות, semper erant ducentarum Zuzarum, licet sponsus Cresco ditior aut Iro pauperior. (15) Siquidem ne latum quidem unguem recedere voluerunt Doctores a verbis legis Deuter. xxii. *constituet vir patri puellae quinquaginta argenteos*. (16) Igitur id solum in in-

strumento dotali praescribatur : quidquid adii-
 retur, sponsae integrum erat. (17) Interseritur hic
 de *votis* tractatio, quia Moses Numer. xxx. le-
 gem tulerat, penes maritum esse, ea quae uxor
 voverat dum erat apud patrem, irrita reddere si-
 mul ac nuptiae fuerint celebratae. (18) Praeci-
 puum inter vota illud erat, quod נזיר *Nazirae-*
tus dicebatur, quodque peculiarem sibi in hoc
 ord. adsciscit tractatum : eius Moses dederat prae-
 cepta Numer. vi. : (19) Quicumque se hoc voto
 simpliciter obligaverit, ad tria suo tempore teneba-
 tur : quam longissime ab omni eo quod e vite
 proficiscitur abstinere : nec ad radendum caput
 suum novaculam adhibere ; nec denique se ullo vel
 patris matrisve, aut ullo propinquorum cadavere
 polluere. (20) Si nullo temporis definito spatio
Naziraeatum quis voverit, per 30. dies ad illum
 teneri Sapientes constituerunt, idque ex verbis le-
 gis קדש יהיה *Sanctus erit*, ubi litterae vocis יהיה
 eum numerum efficiunt.

(21) *Vxor adulterii suspecta* טוטה, de qua Nu-
 mer. v. et גיטין *divortia*, quorum legem sub no-
 mine ספר כריתות dedit Moses Deuter. xxiv.,
 argumentum sunt codic. iv. et v. huius ord. in
 quibus multa pulchreque traduntur. (22) De pri-
 ma quidem id statim monetur, verba legis ושכב
 אתה *et cum ea vir concubuerit* ; non requi-
 rere huius rei certam scientiam, aut oculatos te-
 stes ad cerimonias טטה ; tunc enim gravioribus ea
 mulier poenis cum adultero plectebatur. (23) Ad-
 duci debuit טטה a solo marito ; tumque Sacerdos

eam aquae amarae potu explorabat , cuius ritus Deuter. cit. loc. describuntur. (24) Vix aliquid divinius in tota lege occurrere tradunt Iurisconsulti , quam haec adulterii exploratio , cuius mirabiles effectus fere numquam fefellerunt dum Israëlitae in continentia viverent ac castitate : his tamen cessantibus , mirificam illam aquarum vim protinus defecisse ; idque confirmare nituntur ex cap. IV. Oseae. (25) Immo et illa huius legis verba *וְנָקָה אִישׁ מֵעוֹן* et *immunis erit vir iste ab iniquitate* , conditionem importare autumant : maritoque adulterii puro , aquas experimentum dedisse ; sin minus , non dedisse. (26) Alii vero opportunius fortasse dictis verbis statui putant , immunem esse virum licet uxor libera pronuncietur , indeque nullam in maritum actionem uxori reservari. (27) Infimum tandem קידושין codex de *Sponsalibus* sortitus est locum , ea quam supra attigimus ratione. Triplex erat apud Hebraeos uxorem acquirendi modus , *argento* , *contractu* et *congressu* : primus ex traditione ; alii duo ex lege Deut. XXXII. (28) Hae proinde ליקוחין *emtionem* , vel קידושין *dicationem* , et ארוסין *sponsalia* dicebantur. (29) Quaecumque harum trium adquisita mulier , illico אשת איש censebatur , licet nondum viro coniuncta fuerit , aut domum illius adducta. (30) Si autem quis praeter maritum rem haberet cum ipsa , morte plectebatur.

ORDO IV.

DE DAMNIS.

Post ea iudicia quibus rectae humani generis propagationi, optimisque stabiliendis societatibus consulebatur, IV. ordo נזיקין *de Damnis* agit tum ab hominibus, tum a pecoribus aliorumque animalium genere illatis. (2) Cum enim post primorum parentum lapsum tanta malitia, totque fallaciae cor hominis ascendissent, ut alia aliam truderet, nec socer a genero, nec cognatus a cognato, nec hospes ab hospite tutus esset; plurimique ex avaritia ad rapinam, et superbia ad oppressionem, ex impietate ad homicidia aliaque id genus nefanda facinora inclinarent, ita ut potius eos e feris bellisque immanibus genitos, quam divino genere ortos esse diceres; perquam necessarium erat, ut effraenata ista maleficorum hominum coërceretur audacia, resarcirentur damna, tolleretur vis, extinguerentur scelera, deprabatique mores corrigerentur, ut sic cuilibet sonti pro ratione criminis iniuncta poena, bonis hominibus domi forisque, et ubique locorum in pace et tranquillitate vivere liceret. (3) Cumque summum illud quod in omnia animalium genera homini con-

cessum fuerat dominium, quia Deo non obsecundavit, suisque nimium indulisit affectibus, perdidisset: vel a vilissimis etiamnum animalculis impugnatur, quae continuo quasi ab ipso vindictam sumere videntur, quod a Creatore suo desciverit, omnesque diris obnoxias reddiderit creaturas. (4) Ne igitur homo, omnium creaturarum colophon, a fratribus bestiisve quid damni pateretur, divino placuit Conservatori aliquam in ipso tueri auctoritatem, qua nocentes quicumque illi essent a malitia deterrerentur; indeque leges tradidit Mosi, quibus saltem damni illati compensatio repeteretur. (5) Hae divinae leges postea a Doctoribus et Iudicibus ad incudem revocatae, traditionibusque illustratae ad *tres portas* לשלשה בבות ut Mischna loquitur, redactae sunt, ubi omnia fere civilia et criminalia iudicia continentur. (6) Et quatenus primae portae leges magis necessariae visae sunt quam secundae, et huius iterum magis quam tertiae, eatenus בבא קמא *Porta prima*: בבא מציעא *Porta media*: et בבא בתרא *Porta ultima* appellantur. (7) In prima de eiusmodi agitur damnis, in quorum mora periculum aliquod continetur si non resarciantur. (8) Quatuor damnorum statuuntur fontes seu *Patres* [ut Hebraei loqui amant] qui omnes suas habent generationes. (9) Atque haec damnorum genera omnia ab hominum opibus proveniunt, indeque et ipsi ad compensationem tenentur. (10) Sunt autem horum patrum nomina, *Bos*, *Puteus*, *Depascens*, et *Incendium*. (11) Per *Bovem* hic intelligi dicunt pedem iumenti: *pedis*

autem appellatione membrum omne, quo damnum inferri possit. (12) Hebraeorum Iurisconsulti ex ipsa lege fundamentum habentes, inter תמיץ *innocentia*, et מועדין *convicta* pecora distinxerunt, cum in haec severius ac in illa leges animadvertant. (13) De *Puteo* legem tulerat Moses Exod. XXI. adversus eum qui in loco publico puteum retexerit, vel qui de novo puteum effoderit eumque reiectum reliquerit. (14) Nam si cum possessor puteum effosum operuerit, is dein sponte fuerit reiectus, nullo crimine dominum teneri equum videbatur. (15) *Depascens* eam significat pecudem, quae agrum depaverit alienum: atque hac actione ille tenebatur, qui in agrum vineamve proximi propriam immiserit pecudem ad eos depascendos vel consumendos [quod proprie significat בער Exod. XXII. 4.]: tumque fur tenetur quantum damni intulerit, de optimo agri sui aut vineae compensare. (16) *Incendium* tandem illum proprie casum respiciebat, quo quis suo in agro ignem construxerit ad spinas comburendas ut ager ad arationem et sationem aptus fieret, inde tamen damnum agro vicino redundarit. Casus dein similes *incendii* lege cavebantur. (17) Et hi quatuor damnorum אבות *Patres*, ex quibus innumerae descendebant תולדות *generationes*. (18) Forensium legum codex alter, בבא מפייע de quatuor *Custodibus* iudicia proponit, nempe שומר חנם *custode gratuito*, שומר שכר *mercenario*; *commodato* ac *deposito*: et his quatuor alia quamplurima inseruntur et explanantur iudicia. (19) Porta tandem ultima, בבא בתרא, inter eas

quae ad legum forensium scientiam intranti reserantur, postrema relicta est, quoniam ea tota a legibus ore traditis pendet, et ab iis quae a lege depromuntur coniecturis et consequentiis. (20) Huiusmodi sunt actio *finium regundorum*, *ius effossionis*, *ius possessionis rerum mobilium et immobilium*: *emptio venditio*: *hereditariae successiones*, *fideiussio*, et sexcenta alia his affinia. (21) Sequuntur pulcherrima de iudiciorum formis, deque modo ac diversitate causarum in codicibus de *Synedriis*, de *Poenis*, de *Iureiurando*, *Testificationibus*, *Documentis*. (22) Sufficiant haec omnia hic adnotasse; universam enim hanc civilem iurisprudentiam examussim describere, res visa est maximum quidem laborem, nec tamen parem hoc loco utilitatem allatura. Igitur illis eam perscrutandam relinquemus, quibus leges hasce forenses plenius cognoscere intersit.

סדר קדשים

ORDO V.

DE SANCTITATIBVS.

Latis iam legibus ad cives in republica recte constituta bonis moribus institutisque salutaribus continendos, quibus innotesceret quantum quidem homo homini quocumque in vitae genere ac statu

praestare teneretur ; reliquum erat ut eiusmodi etiam leges subiungerentur , quae verum Dei cultum, et quid homo suo Creatori debet, edocerent. (2) Apud Hebraeos ille invaluit Deum colendi modus, ipsismet Divinis legibus approbatus , qui in sacrificiis , victimis , muneribus , fertis , et aliis id genus consistebat cerimoniais. (3) Et licet in investiganda origine unde hi similesve ritus ubique locorum ad gentes varias et nationes tum sacras tum profanas descenderint, eruditorum valde se torqueant ingenia ; nihilominus non possumus non hac in parte , in tot nempe sacrificiorum ritibus populo Israëlitico concedendis , insignem Dei clementiam , misericordiam et liberalitatem summis laudibus efferre , immo et summam illius sapientiam admirari , quod sub his umbris et figuris , symbolis obscuris et aenigmatibus tam ingentia et incomparabilia latuerint bona ; sanctissimum nempe illud atque absolutissimum Servatoris nostri sacrificium, quod optima quaeque praecedentium omnium unum ipsum in se complectens , omnibusque victimis finem imponens , non solum Israëliticae gentis , sed et totius humani generis peccata uno die delevit. (4) Igitur omnium illustrissima , catholicoque dignissima viro sacris in Litteris erudito est ordinis huius קדושים de *Sanctitatibus* et *Sacrificiis* materia , qua via patet ad quaedam nostrae Religionis penitus perscrutanda. (5) Indeque nec mens vacat aegra dolore quod adeo temporis angustia premamur , ut diutius per amoenum huius ordinis campum divagari , et plurima boni succi plena

colligere non liceat. Pauca nihilominus. (6) Oblationes generali קרבנות nomine appellatae innumeras fere habebant חולדות generationes. Primas ferebant זבחים, מנחות, ונסכים. Illa erant vel debita, vel arbitraria: publica vel privata; sanctissima vel minus sancta. (7) Inter ea tamen erant celebratissima *Holocausta*, *Piacularia*, *Pro peccato* et *Pacifica*. (8) Suos unumquodque habebat ritus, suas victimas, causas, cet. Hae tamen inter חטאת et אשם non adeo constabant, ut unam omnes interpretes adhibeant inter haec duo sacrificia distinctionem, seu potius inter peccata quae hoc illudve postularent sacrificium. (13) Nos certe collatis hinc inde Scripturae testimoniis, propriam verbi אשם significationem aliquid occultum credimus importare, licet quandoque latius omnia peccata significasse videatur.

סדר טהרות

ORDO VI.

DE PURIFICATIONIBVS.

Sanctitatum iudiciis expositis, reliquum tandem erat ut ordine ultimo de *Purificationibus* טהרות Iudaeis praescriberetur, quomodo sanctitati et munditiei standum esset, ne in corporibus humanis, eorum cibus, vestibus, domiciliis, vasis, ullove

genere materiae e qua aliquid in humanum con-
 fici solet usum, sordidi quid vel indecori reside-
 ret. (2) Cumque sanctitatis studium tanti sit mo-
 menti, plurima sane et Legis et Doctorum san-
 cita maxime necessaria erant ad id ipsum consti-
 tuendum promovendumque. (3) Populi enim Israë-
 litici vitam in AEgypto servilem, in desertis ca-
 stresem, in Canaan spurcis idololatriis undique
 cinctam, atque ipsius adeo duram cervicem si
 consideremus, nemo est qui non videat ardui fuisse
 laboris ipsum ad pietatis exercitia assuefacere.
 (4) Quamplurimis enim eam afferebant sacrificia
 tranquillitatem, ut ad otium et inertiam declina-
 rint, quasi vero Deus sacrificiis vesceretur, et non
 potius sincera ac pura mente coli vellet. (5) Ut
 ergo tam perversa e medio tollerentur ratiocinia,
 Legem tulerat Deus, eamque R. Ihuda Doctorum
 sententiis explanavit in hoc ordine טהרות de *Pu-*
rificationibus, ubi regulae praescribuntur, quibus
 quisque sibi caveat ne prudens sciens se immun-
 ditiei committat, vel eam si contraxerit, quibus
 modis purgari possit. (6) Iure igitur merito hic
 sibi attentionem vindicabat illius *Vaccae* combu-
 stio quae *rufa* appellata fuit, cum eius cineres ad
 principales purificationes adhiberentur. (7) Haec
 combustio munus erat sacerdotale: ex disciplina
 tamen a Pontificibus praecipue fuit adimpletum.
 (8) Raritate quoque factae sunt apud Hebraeos
 commendabiles hae combustiones, cum a constitu-
 ta Iudaica republica ad ultimum usque urbis exci-
 dium non nisi novies fuerint repetitae, ut ipsi tra-

dunt ; quod si non omnino verum , valde tamen inusitatas fuisse probat. (9) Eius cinerum tres partes fiebant , quarum una in monte , altera in antemurali , tertia in Templo servabatur. In Templo inserviebat aquae טוטה , tollendaeque pollutorum ex contactu cadaveris immunditiei , quae varios habebat *patres et generationes* a quibus ob temporis angustiam nunc abstinemus : si enim singularum hic purificationum origines , causae ritusque foret describendi,

Ante diem clauso componet vesper olympo.

Hisce paucis , L. O. , viam nobis reseravimus ut ex hoc tam frugifero fructuosoque studio , quo maxime pulcherrimum Sacri Codicis colitur pelagus , quosdam aliquando proventus reddere possimus. Tu interim nostro huic labori et parce et fave , tuaque benevolentia nedum nobis verum et pluribus aliis nostra in Schola ad haec praeclara iam incumbentibus studia igniculos adde. Vnum te monitum volumus , hucusque dicta omnia nedum defoecatisimo tuo , sed quo caput est infallibili Catholicae Ecclesiae iudicio subiecta esse.

Imprimatur.

Vincentius Blasco Can.


Vniv. Valent. Rect.

Vt. Valladares a Sotomaior

Cens. Reg.

1
0
0
1
8
7
4
7
0







SERMON
Varios
difer.^s AA

∞. 1. ∞.
